



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XLIV. De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum  
Sacramentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

obligare, cum Tannero de *Sacram. disp.* 4. q. 4. n. 88. & aliis censet Pontius de *Sacram. Confir. cap. 3. n. 6.* cum; quod fit in materia gravi; cum Confirmatio ex speciali institutione Christi plurimum conferat ad conservandam Fidem & Charitatem: quibus virtutibus Clerici præ aliis fidelibus excellere debent: tum verò; quod Prælati Clericorum Ordinationi diligentem inquisitionem de ejus Sacramenti prævia receptione soleant præ-

mittere & sollicitè cavere; ne istò non receptò Ordines & prima etiam Tonfura recipiantur. Alii tamen, seclusò contemptu & speciali necessitate, ejus omissionem venialiter solum peccaminosam censent cum Laiman. *Lib. 5. Tract. 3. cap. 5. n. 4.* Palao *Tract. 20. disp. unica p. 8. n. 6. in fine* & Barbosa de *Offic. Episcopi alleg. 2. n. 15.* Videantur dicta *Lib. 1. Tit. 11. n. 49.*



## TITVLVS XLIV.

### De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum.

#### SUMMARIUM.

1. Eucharistia pro moribundorum Viatico,
2. Aliorumque fidelium solatio & necessitatibus:
3. Et pro delatione in publicis ac solennibus Processionibus,
4. In loco conspicuo tutoque,
5. Sub custodia Sacerdotis,
6. Accensâ coram ea lampade adseruanda,
7. Et ad agros decenti habitu deferenda est.
8. Ipsa etiam Oratoria, in quibus adseruatur, decenter ornanda.

cum & extremam Unctionem ministrari sit necesse, sanctissima Eucharistia & sacrum Chrisma pro illorum necessitatibus semper parata adseruari debent.

Præter hanc causam idem SS. Sacramentum adseruari in Ecclesiis consuevit Primò; ut Christum, etiam quoad humanitatem suam, Fideles semper haberent præsentem juxta ipsius promissionem, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. cap. 28. v. 20. Henriquez *Lib. 8. cap. 1.* & Fagundez de *Precept. 4. Eccles. Lib. 1. cap. 1. n. 4.* Secundò; ut deferretur ad Monachos & Moniales, vitam solitariam agentes in eremis: cujus rei meminit S. Basilius in *Epist. ad Casariam Parvitiâ* & Imp. Novell. 123. cap. 36. *V. Feminis autem.* Tertio; ut in Viaticum dari posset peregrè proficiscentibus; ex qua causa SS. Eucharistiam à Satyro fraude suo

S s s s

tre suo

1. Cum multis & sæpe inopinatis casibus infantibus primùm in lucem editis Baptismum, & aliis fidelibus infirmis sacrum Viati-



tre suo acceptam &, ortâ in mari tempestate, è collo fuisse suspensâ, perhibet S. Ambrosius de ipsius Obitu cap. 7. Quartò; ut Fidelium vitâ functorum ori vel pectori impositum eis conspeliatur, ut videre est apud Amphilochem *Vita S. Basilii cap. 6.* & S. Gregorium *Dialog. Lib. 1. cap. 4.* qui mos in Ecclesia aliquamdiu toleratus fuit, partim; ut à Fidelium sepulchris fugarentur dæmones: partim; ut superstitio Gentilium. defunctorum ori inferentium trientem, Charonti ipsorum animas per Acheronta, Stygem & Cocytum ad inferos trajecturo perfolvendum, facilius extirparetur; si sacro illo pignore munitorum Fidelium animas ad cælestem patriam multò securiùs intelligerent pervenire, Raynaudus *Heteroclit. Spirit. p. 2. f. 1. p. 10. n. 7.* Unde etiam, superstitiosò illo Gentilium ritu sublatò, Eucharistiam mortuis conspeliendi mos antiquatus est à Concilio Altifiodor. *can. 12.* Carthag. III. *can. 6.* Synodo VI. in Trullo *can. 63.* & Pontius *Quæst. 2. Scholast. cap. 4.* & Raynaud. *ibid. n. 4.* Quintò asservari aliquando consuevit pro iis diebus, quibus, ut olim Quadragesimæ plerisque, Missæ sacrificium non peragebatur, Balsamon apud Gonzalez *in c. 1. n. 7.* Sextò pro Presbyteris & Diaconis primùm ordinatis; ut per quadraginta dies à sua Ordinatione ejus particulas sumerent: cujus antiqui usûs meminit Hallierius *de Sacris Elect. cap. 7. art. 2.* Et demum; ut in templis collocata super altari, & in supplicationibus seu Processionibus publicis à Sacerdote circumlata exhiberetur populo Christiano, & ab isto solemnitate, lætitiâ & devotione maximâ adoraretur: quòd jam ante tempora Urbani IV, à quo SS. Corporis Christi speciale Festum institutum, & à Clemente V. confirmatum est,

Clement. 1. de Reliq. & Venerat. Sancti, in pluribus Ecclesiis usitatum fuisse, patet ex Concilio Turonensi II. *can. 2.* & Bracarensi III. *can. 5.* eumque Latine celtum Venerabili illi Sacramento piè ac Religiosè exhiberi, contra obcredulitates Hæreticos definit S. Synodus Tridentina *Sess. 13. cap. 5.* Suarez *Tom. 1. de Reliq. Lib. 2. cap. 7. n. 3.* & alii DD. relata Gonzalez *in c. 1. cit. n. 7. in fine.*

Ut autem in hos usus & Fidelium solatium asseruato SS. Sacramento debitus honor & veneratio exhiberetur, antiquissimâ Ecclesiarum Consuetudine introductum, & variis Conciliorum & SS. Pontificum Sanctionibus saluberrimè cautum est; ut non temere aut quavis communi, sed conspicuè tuncque locò depositum custodiretur; & primis quidem Ecclesiæ seculis in Sacro seu Christophorio, secundùm S. Clementis *Constitut. Lib. 8. cap. 20.* quò nomine Tabernaculum significari, notat S. Hieronymus *in Isaia cap. 22.* postea quorundam locorum & Ecclesiarum, præsertim Gallicanarum, usu in Columbus aureis vel argenteis super altare appensis reconditis, ut colligitur ex querimonia clericorum & Monachorum Antiochenorum contra Severum relata VI. Synodi *Ab. 1. & II. Synodi Nicænæ Ab. 5.* apud Hieronimum *Anno Christi 57. n. 12.* aliquando in vasculis aureis, ad solis rutilantis effugiem efformatis, ad indicandum SS. Sacramenti splendorem totò orbe coruscantem, Saussay *Panoplie Sacerdot. p. 1. Lib. 1. cap. 4. §. de Columbâ:* aliquando in turriculis seu parvis turribus aureis vel argenteis super altari repositum asseruabatur, apud Gregorium Turonens. *Lib. 1. de Gloria Martyrù cap. 86.* & Florestodum *Histor. Rhenens. cap. 8. & Lib. 2. cap. 6.* Demum hodie in pixide beneclata seu, ut vocamus, Ciborio argenteo in-



aurato, & quandoque gemmis distincto, sub Cruce Domini in conspicuo & præcipuo Altaris loco & Tabernaculo decenter & honorificè exornato ad fidelium Synaxin & Viaticum infirmorum deponitur, Gretserus *cit. cap. 21.* Saufay *cit. cap. 4. §. de Ciboriis & Gonzalez in c. 1. cit. n. 5.*

5. Ne autem inde periculum sit alicujus irreverentiæ & injuriæ SS. Sacramento inferendæ, eòve aut sacrò Chrismate ad nefaria opera abutendi ansam homines scelerati acciperent, Concilii Lateranensis PP. sub Innocentio III. statuerunt; ut Eucharistiæ & sacrò Chrisma sub clavi & fideli custodia habeat sacerdos: quem, si in eorum custodia negligens fuerit, trimestri suspensione plecti, aut etiam, si per ejus incuriam nefandum aliquid acciderit, gravioris pœnæ ultioni voluit subjacere *c. 1. hâc Rubr. & c. Sanè 10. de Celebrat. Missi.* Generalis istius Constitutioni consonant varia Nationalia vel Provincialia, & ex hujusmodi Germaniæ nostræ Conciliis Wormatiensè *can. 5. Colonienfè III. p. 7. cap. 16.* Salisburgensè, celebratum temporibus Martini V. *cap. 18.* & Frisingensè celebratum Anno Christi 1440. quod *Præcipiendo mandavit; ut secundùm Constitutionem Lateranensis Concilii, relati c. 1. cit. Eucharistiæ & Oleum sub fideli custodia & reverentia debita, clavibus addibitis conserventur; ne possit ad illa temeraria manu impiorum ac facinorosorum hominum extendi, ad aliqua horribilia & nefaria exercenda: ut etiam Concilium Ravennatensè II. sub Clement. V. celebratum Rubr. 7. saluberrimè cavit, apud Gonzalez in c. 1. cit. n. 4.*

6. Ante Altare autem sive tabernaculum, in quo SS. Sacramentum depositum ita custoditur, pendula & accensa lampas diu noctûque ardere generali Ec-

clesiarum usu & aliarum etiam statusis solet; cùm propter ejus reverentiam: tum verò; ut Ecclesiam ingressi sciant, quò potissimùm locò adoranda sit præsentia Salvatoris; monet enim lumen, adesse ibi candorem lucis æternæ, & assidue sollicitat ad pietatè ejusque venerationè, Navarrus *de Oratione cap. 18. n. 67.* & Possevinus *de Offic. Curati cap. 12. n. 68.*

7. Cùm eò reficiendi & sacrò viaticò muniendi sunt infirmi, ad ipsos à Parocho, ejusve sacellano vel cooperatore, decenti habitu & superpelliceo induto in vase argenteo vel calice, sericò cooperato, deferenda est cum omni reverentiâ & devotione, præcedente lumine, tintinnabulò sonante, & si fieri potest cum cantu; ut eo admoniti fideles genua flectant & sub speciebus panis latentem Deum adorent, Fuscus *de Vist. Lib. 1. cap. 5. n. 10.* Pafecius *Prax. Episc. p. 2. cap. 3. n. 24.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 22. n. 4. & 5.* monens, non unam tantùm, sed duas hostias consecratas deferendas ad ægrotum, ut ille earum unâ reficiatur: alteram, à populo adorandam, ad Ecclesiam reportet.

8. Non ipsum duntaxat Venerabile Sacramentum decenter & honorificè adferendum custodiendùmque: sed ipsæ etiam Ecclesiæ, Oratoria & Altaria Divinis mysteriis deputata, ad decorem domui Dei convenientem exornanda, curandùmque Sacerdotibus & cæteris Ecclesiæ Ministris est; ut vasa, vestimenta & ornamenta sacra munda & nitida conserventur, *can. Vestimenta 41. can. Vasa 43. Sc. dist. 1. de Consecrat. cùm; ne, iis negligentè habitis, sacrorum, ut afolet, neglectus & contemptus inducatur: tum verò; quòd nimis absurdum videatur, in sacris lodes negligi, & admitti, quæ dedecet & non tolerantur in prophanis, c. fin. hâc Rubr.*

S s s s s 2

TITU.